

www.e-rara.ch

Historia animalium

Conradi Gesneri medici Tigurini historiae animalium lib. I. de quadrupedibus viviparis - opus philosophis, medicis, grammaticis, philologis, poëtis & omnibus rerum linguarumque variarum studiosis, utilissimum simul iucundissimumque futurum. ...

Gessner, Conrad

Tiguri, anno 1551

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: NNN 41 | F

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1927>

De tigride.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien - von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material - from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes - des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



A.

TIGRIS uocabulum est linguae Armeniae. nam ibi & sagitta, & quod uehementissimum flumen, dicitur Tigris, Varro de ling. Lat. Tigris uocata est propter uolucrem fugam. sic enim nominant Persae & Indi sagittam, Isidorus. Medi tigrin sagittam appellant, Perotus, & Eustathius in Dionysium. Munsterus in Dictionario suo trilingui uocem *ἄγίρ*, & girera, sagittam interpretatur. In eodem opere hanc feram Hebraicis literis eiusdem soni, quibus Latina & Graeca est, scribit, *טיגריס*, tigris. item *אלי*, alai. sic enim legendum puto. ipse puncta uocalia non adiecit. *לש*, laisch, Job quarto. Septuaginta uertunt *μυρμηλέων* (uideatur legendum *μυρμηλέων*.) Hieronymus tigris. Sed leonem magnum & proeclatatis hac uoce significari, docuimus in Leone A. A Iudaeis *פוראול* uocatur animal, quod tigris à Graecis, Hesychius, Varinus. Hoc animal quia Europae peregrinum est, omnes in ea populi tum barbari, tum Latini Graeci, uno & eodem nomine peregrino utuntur. Ab Italis tigre uel tigma in recto singulari scribitur. A Gallicis masculino genere uing tigre. à nobis neutro, *tigertier*, hoc est, tigris animal. Tigres uulgo dicitas non uere tigres, sed thos maiores esse aliqui putant, ut dicam in B. ex Arriano. Mantichoram Pausanias in Boeoticis, tigrin esse conijcit; ego leucrocutam potius, ut inter animalia hyaenae congenera declarauit.

B.

Leones & tigrides in regionibus ad Orientem & Austrum nascuntur, quod maiorem caloris copiam haec animalia desyderent, Caelius. Tigres in India sunt & iuxta rubrum mare, Philostratus. Afangae Indiae populi (ultra Gangem) tigriferae scitent, Plinius. Ptolemaeus Besingos Perimuleis ultra Gangem uicinos tigribus infestari plurimis scribit. Megasthenes in Prasijis tigres gigni leonibus fere duplo maiores tradit, Strabo. In Taprobane tigrides & elephantum capiuntur, Solinus. Inter tigrum epitheta apud poetas, Armeniae & Hyrcanae legimus. Tigrin Hyrcani & Indi ferunt, Plinius. Tigridum millia multa apud Hyrcanos cernuntur, Ammianus Marcellinus. Hyrcania foeta est tigribus, Solinus. Apollonius (inquit Philostratus libr. 3.) dextra quidem Gangem, sinistra uero Hyphasin fluuium habens, ad mare descendit cum socijs. Descendentibus autem multa ferae, & inter caeteras tigres occurrerunt. In parte Syriae contermina reperiuntur leones & pardales, & qui Babylonij uocantur tigres, Diodorus. Post Barygizam continens ad Austrum pertingens Dachinabades uocatur: quae supra hanc est mediterranea regio ad Orientem, montes magnos continet, & omnigena ferarum genera, pardales, tigres, &c. Arrianus in Periplo rubri maris. Colonus Hispanus ex Hispania soluens ab Oriente in Occidentem diebus 26. Hispaniolam insulam

Iam attigit, inde Occidentem rectà secutus in Guanassam insulam peruenit: unde pergens, ad miliaria decem Ciambam regionem inuenit, quæ leones & tigrides nutrit, Petrus Martyr.

- ¶ Indi tigrim elephanto robustiorem multò existimant. huius feræ pellem se uidisse Nearchus scribit, animal uerò ipsum nò uidisse: Indos uerò referre, tigrim esse maximè equi magnitudine, uelocitate & uiribus bestias omnes superare: elephantum etiã, insipientem in caput eius, facile suffocare. Illas uero quas nos uidemus & tigres uocamus, thoas uarios esse, & maiores quàm cæteri thoas sint, Arrianus in Indicis. Strabo lib. 15. testatur Megasthenem scribere, tigres in India apud Prasios populos, magnitudine duplos ferè ad leonem, adeò ualentes esse, ut unus ex mansuetis à quatuor hominibus ductus simul posteriore pede apprehenderit, ad se trahat. Tigris ad magnitudinem leporarij canis, (Anglici, Obscurus, Hyrcani, Arnoldus de Villanoua) & amplius excrescit, Albertus. Tigris est ut leo, Varro. Similis est leonæ, pelle tantum uaria excepta: *νόσθη μόνον μιν οἶο, ἢ αἰὼς κεν ἐσεφάνηται λαίλαλα πορφύροντα, καὶ ἀνθεσι μαρμαίροντα*. Tales ei (ut leonæ) oculi igneo splendore micant, & reliquum corpus simile est, nempe ualidum & bene carnosum, (ἐν καρῶν,) & cauda similiter proluxa. Tale os, facies, ac similis in ima fronte laxa pellis (episcynion, de qua uoce plura dixi in Leone B.) nutat, & similiter frendent dentes, Oppianus. Et rursum, *Τίγριδι δ' αὖ μετέπειτα κλυτὸν δίεμας ἀείδωμι, τῆς ἑτορπύπτου φύσεως ὕπαισι τεχνίτοισα ὀφθαλμοῖσιν ἰδέειν*. Tantum autem præstat pulchritudine tigris inter alias feras, quantum inter uolucres pauo. Idem libro primo de uenatione, in mentione equorum quos orynges uocat. horum alij, inquit, floridis decorantur maculis multis (*δολιχίστη ἐπὶ τριμα ταινίησι*) siue tænijs oblongis tigrum instar, alij uerò rotundis ut pantheræ. Mæus ex cedro præcipua dos in uena crispis, uel in uertice uarijs, illud oblongo euenit discursu, ideoq; tigrinæ appellantur: hoc intorto, & ideo tales pantherinæ uocantur, (plura super hoc loco dixi in Panthera a, inter deriuata,) Plinius. Panthera & tigris macularum uarietate propè solæ bestiarum spectantur, cæteris unus ac suus cuiusq; generis color est, Plinius. Tigres bestias insignes maculis notæ & pernitas memorabiles reddiderunt, fuluo nitent, hoc fuluum nigrantibus segmentis interundatum, uarietate apprime decet, Solinus. Albertus Solini uerba non rectè inuertit, nigri coloris esse scribens, fuluis uirgulis quasi undatim intercepti. Tibi dant uariæ pectora tigres, Seneca in Hippolyto. Tigris atra, Vergilio 4. Georg. Maculosa, Ouidio 11. Metamor. Ungues habet aduncos, dentes acutos, pedem multifidum, Albertus. Omnia fermè animalia sæua feli similia sunt, pantheræ, lynces, pardi, & forsan etiam tigrides. commune enim est unguium magnitudo & robur, pel-
- lis distincta, uersicolor ac pulchra, caput rotundū, facies breuis, (hæc duo tigridi non conueniunt:) cauda proluxa, agilitas corporis, feritas, & cibus qui uenatione acquiritur, Cardanus. Natura leonibus, sicut & urfis & tigribus angustiora (breuiora intelligo) creauit colla, quia in terra ceruicem & ora non deijciunt pascendi gratia, sed aut ceruum inuadunt, aut bouem ouemq; discerpunt, Ambrosius. Falsò creditur omne genus tigrum fœmineum esse, nec coire cum ullo mare, sed ex uento concipere, capitur enim nonnunquam mas, etsi rarius, Oppianus.

C.

- Tigrides indomitæ rancant, rugiuntq; leones, Author Philomelæ. Si uenatores raptis eius catulis nauibus abeant, mœsta in littore tigris ululat, *ἀρνέται*, Philostratus in uita Apollonij. Qui tigridis catulum rapuit, appropinquante fremitu, (ipsa tigride fremente,) abijcit unum ex catulis, Plinius. Oppianus tigrin & cætera leonæ similia habere scribit, si pellem maculosam excipias, & similiter inquit eius *λαλαχέσιν ὀδύσες*. ¶ Tigrin Hyrcani & Indi ferunt, animal uelocitatis tremendæ, & maximè cognitæ dum capitur, Plinius. Vide inferius in E. Tigres bestias macularum notæ & pernitas, memorabiles reddiderunt, Solinus. Et rursum, Pedum tigridis motum nescio an uelocitas an peruicacia magis adiuuet, nihil tam longum est quod non breui penetret, nihil adeò antecedit, quod non illico assequatur. Cætera (præter pellem uariam) similis est leonæ: sed multò celerior tum hac, tum quibusuis uelocibus feris, cursu enim similis est Zephyro genitori, nam à uento eas concipere falsò creditur, Oppianus. Huic fabulæ forsan nimia earum uelocitas occasionem dedit, ut & equos quosdã uelocissimos è uentis prognatos ueteres fabulati sunt, ut equos Dardani ex Borea. In Lusitania etiam equas ex uento concipere, in Equo C. ex Varrone retuli. Præter tigridem nullum animal fermè rapax, pernix est, Cardanus. Ocyor & cœli flammis & tigride, Lucanus lib. 5.
- ¶ Indi tigrim elephanto robustiorem multò existimant. aiunt autem eam maximè equi magnitudine esse, uelocitate & uiribus tantis, ut nullum ei animal conferri possit. nam si quando cum elephanto pugnat, insilire in eius caput, & facile suffocare. Quas uerò nos uidemus & appellamus tigres, Nearchus scribit thoas uarios & maiores esse, Arrianus in Indicis. Megasthenes prodidit, in Prasij tigris gigni leonibus duplò ferè maiores, eo robore ut si de mansuetis unus à quatuor hominibus ductus, muli posteriorem pedem (*τῶ ὀπίδιῳ ποδὶ δραξάμενον ἡμίονον*; potest & aliter uerti, ubi mulum posteriore pede [suo posteriore pede, muli pedē] apprehenderit,) cōprehenderit, ad se trahat, Gillius ex Strabone. De tigride cicure quæ ferum leonem lacerauit, Martialis carmen extat in libro Spectaculorum, epigrammate 18. ¶ Tigres in Hyrcania urgente inedia Oxum & Maxeram amnes alia quoties natatu superantes, improuisæ finitima populantur, Am. Marcellinus. ¶ Cibi causa omne animalium genus, quadrupedes præsertim masculas, inuadit, Elephantum ab ea facile superari, & mulum uel pede apprehensum trahi, (à maiore scilicet & propriè dicta tigris,) paulò ante recitauit,

Certuos, boues & oues inuadit, Ambrosius. Tigris cicur obiecto hœdo, quo cum familiariter diu uersata erat, biduum totum abstinuit: tertio die cum esuriens aliud postularet, felem datum discerpit, Plutarchus in libro Vtra animalium, &c. ¶ Per syluas tum (tempore libidinis) sæuus aper, tum pessima tigris, Heu malè tum Libyæ solis erratur in agris, Vergil. in Georg. Coitus auersus elephantis, camelis, tigribus, &c. quibus auersa genitalia, Plinius & Solinus. Tigris multos parit catulos, Albertus. Tigris cursu est similis Zephyro genitor: etsi fabulosum uideatur feris uentum misceri, falsò enim creditur omne tigrum genus foemineum esse, nec coire cum ullo mare, capitur enim nonnunquam mas, etsi rarius, ut qui uisus uenatoribus catulos deserere, & fuga sibi confutere soleat, manente cum eis matre, Oppianus. Ex tigride & cane Indicos canes gigni confirmat: uerum non statim, sed tertio coitu, primo enim belluinos adhuc catulos procreari aiunt, alligantur canes locis desertis, & nisi bellua incensa libidine sit, sæpe lacerantur, Aristoteles. Idem alibi canes Indicos generari scribit ex cane & fera quadam simili, *ἐκ βελίας τινὸς κυνώδ' οὖς*, nomine non expresso, Plinius Hyrcanos canes ex tigribus nasci scribit, ut dixi in Canibus robustis.

D.

Tigris bellua est aspera, sæua, indomita, rabida, his enim epithetis eam poëta cognominant. Tigres leonesq; nunquam feritatem exuunt, aliquando submitunt, & cum minimè expectaueris, exasperatur toruitas mitigata, Seneca in epistolis. Leonibus manus magister inserit, osculatur tigrim suus custos, Ibidem citante Crinito. Indi ad suum regem afferunt tigres domitos, cicures pantheras, &c. Aelianus. Plutarchus (in libro Vtra animalium &c.) scribit hœdum quò cum tigridi uiuendi consuetudo fuisset, cum deuorandum huic quidam obiecissent, eiusmodi feram, quamuis alterius cibi nulla facultas esset, ab edendo non modò se sustinuisse toto biduo, uerò etiam ut aliò cibum petere intelligeretur, caueam (galeagram) qua contineretur, distraxisse, & dirupisse. Eandem historiã de pardali, quæ hœdum secum nutritum attingere noluerit, ex Aeliano retuli in Panthera D. Tigris animal est sæuissimum, & incomparabili rabie sæuiens, præcipuè quando raptis catulis insequitur uenatores, Physiologus. Leones, pantheræ & tigrides, foetus suos uehementer amant, & pro ipsis contra uenatores pugnando, quæuis tela & mortem quoq; contemnunt, Oppianus libr. 3. de uenatione. De hisdem & lyncibus ibidem scribit, quod cum ad latibula sua reuersæ catulos sibi ablatos non reperiunt, magno & miserabili eos ululatu plangant. Tigris mas rarò capitur, nam uisus uenatoribus relictis catulis in fugam se conijcit, foemina uerò cum catulis manet, & animo mœsta à lætis uenatoribus irretita capitur, Oppianus. Plura adferemus mox sequenti capite. Tigris etiam (si. 30 milia proximè de elephanto dixerat) feris cæteris truculenta, atq; ipsa elephanti quoq; spernens uestigia, homine uiso transferre dicitur protinus catulos, Plinius. ¶ Quæ animalia tigris inuadat, laniat, aut suffocet, præcedenti capite dixi. uidetur enim cibi duntaxat gratia, quæcumq; consequi potest, interimere. ¶ Tigrem dicunt si tympanorum sono obstrepatur, insanire atq; furere, seseq; discerpere & lacerare, Aelianus.

E.

Tigris uiuus capi adhuc non potuit, Varro de lingua Lat. Iuxta Gangen Indiæ fluuium buglossa similis herba nascitur, cuius succum expressum Indi seruant, & intempesta nocte latibulis tigrum aspergunt, unde illæ sic afficiuntur, ut cum progredi nequeant, immoriãtur, (*αὐτὴ δὲ τὴν δὲ ὑναμιρ τὴν ἐκχυθείσας πρῶστας, προχωρήσασιν μὴ δ' ὑνὰ μὲναι, θνήσκουσιν,*) ut Callisthenes prodit tertio de uenatione, Plutarchus in libro de fluuijs. Tigrin Hyrcani & Indi ferunt, animal uelocitatis tremendæ, & maxime cognitæ dum capitur. Totus enim foetus, qui semper numerosus est, ab insidiante rapitur equo quàm maxime pernicipi, atq; in recentem subinde transfertur. At ubi uacuum cubile reperit foeta (maribus enim cura non est sobolis) fertur præceps, odore uestigans. Raptor appropinquante fremitu, abijcit unum ex catulis. Tollit illa morsu, & pondere etiam ocyor acta remeat, iterumq; consequitur & subinde, donec in nauem egresso irrita feritas sæuit in littore, Plinius. Tigrium potentia (uelocitas) maximè probatur, cum maternis curis incitantur, cum catulorum insistant raptoribus. Succedant sibi equites licet, & astu quantolibet amoliri prædam uelint, nisi in præsidio maria fuerint, frustra est ausum omne. Notantur frequentissimè, si quando latrones (uenatores) suis asportatis catulis renauigantes uident, in littore irrita rabie se dare præcipites, uelut propriam tarditatè uoluntaria castigantes ruina: quanquam de foetu uniuerso uix unus queat subtrahi, Solinus. Ad naues usque procedere tigrim ferunt catulorum repetundorum gratia, illisq; receptis cum gaudio abire, quod si ablati catulis abeuntes naues aspiciat, mœstam in littore ululare, (uide etiam supra in D.) quandoq; etiam ob doloris magnitudinem mori, Philostrat. lib. 2. de uita Apollonij. Mas raro capitur, nam uenatoribus conspectis, catulos deserit & fugit. foemina uerò cum eis manens, irretita à uenatoribus capitur, Oppianus. Venatores quidam sphaeras uitreas catulorum quos rapuerint insequentibus matribus obijciunt, quas illæ intuentes, imagine quam ipsæ reddunt decipiuntur, ut catulos subesse putent, idq; eo magis, quod sphaera moueatur, ceu uiuum in se animal continens. Sed cum tigris sphaeram pedibus confringit, ut catulo potiatur, delusam se uidens pergit insequi. Illi alias subinde sphaeras obijciunt, deluduntq; donec ad ciuitates uel naues euadant, Albertus. ¶ Darienen insulam noui Orbis in Oceano Occidentali, quæ octo ferè dierum nauigatione ab Hispaniola distat, infestam anno superiore (circa annum Domini 1514.) aiunt, ita ut integro semestri tempore, nox nulla indamniss

- demnis abierit, quin uel iuuenca aut equa, canis aut porcus, intra uici ipsius uias interimeretur. Armenta gregesq; iam assequuntur, imò & minimè tutò referunt, domo exisse quenquam eo tempore, quando præcipue catulos alebat, tunc nanq; adoriebatur & homines, fame urgente catulorum, si homines prius occurrissent quàm brutum animal. Necessitate cogente tandem ars inuenta est, qua tanti sanguinis pœnas lueret, exploratis angustijs semitarum, quibus è cauernarum latebris ad prædam noctu prodire solebat, iter scissum est. Excauatam scrobem cratibus & egesta terra, parte superuacua dispersa, strauerunt. Veniens incautus, mas quidem erat, tigris decidit in foveam, & sudibus acutis in scrobis fundo fixis inhæsit. Rancatu suo uniuersam obtundebat uiciniam, & montes illo stridore reboabant. Saxis ingentibus è fossæ supercilij in eum sudibus infixum deiecit, peremptus est.
- 10 In mille assulas & mille frustula, fixa dextra, directas hastas & ab alto iaculatas dirumpebat. Semianimis & exanguis formidine replebat intuentes. Ioannes quidam Ledesma Hispalensis, de tigride illo se comedisse fassus est, bouina carne nihilò deteriorem esse mihi retulit. Vnde tigridem esse dicat interrogati, qui nunquam tigridem uiderunt; respòdent, à maculis, à feritate, à dexteritate, à signisq; alijs ab authoribus datis tigrim arbitrari. Cum & pardos & pantheras maculatos ex ipsis pleriq; se uidisse prædicent. Tigride mare perempto, montes uersus uestigia illius secuti, antrum coniugale ipsius domicilium adeunt, duos, absente genitrice, catulos uberibus adhuc matris indigos auferunt. Mutato consilio, quo grandiusculos effectos in Hispaniam post hæc mitteret, ferreis catenis diligenter in colla compositis, ad maternum antrum paruulos reportant lactandos. Post paucos inde dies regressi ad speluncam, catenis nil suo loco mutatis, uacuum reperere speluncam. Putant à matre in
- 20 frustra præ rabie dilaceratos, ablatosq; ne quisquam eis frueretur. Assueuerant nanq; solui è catenis nullo pacto potuisse uiuos. Pellis perempti tigridis ad Hispaniolam, siccis herbis & culmo facta, missa est ad Admirantum & primores. Qui à tigride incommoda passi sunt, & qui pellem eius tractarunt, hæc mihi differuerunt, quæ dant accipimus, Petrus Martyr Oceaneæ Decadis 3. libro 2. ¶ Diuus Augustus Q. Tuberone, Fabio Maximo coss. quarto nonas Maij, theatri Marcelli dedicatiõe, tigrim primus omnium Romæ ostendit in cauea mansuefactam: diuus uerò Claudius simul quatuor, Plinius. Inter munera Augusto missa ab Indis, tigres Romæ uisæ fuere primo, ut author est Dion, Cælius. Fuerunt sub Gordiano Romæ tigres decem, leones mansueti sexaginta, &c. Iul. Capitolinus. Heliogabalus portentosi ingenij imperator, leones & tigres ad currum iunxit, Cybelem se & Liberum patrem uocitans, Textor ex Lampridio. Meminit etiam Crinitus 16. 10. Picto quòd iuga delicata
- 30 collo Pardus sustinet, improbatq; tigres Indulgent patientiam flagello, Martialis in libro Spectaculorum epigrammate 148. Romæ in triumpho Aureliani fuerunt tigrides quatuor, camelopardali, alces, Vopiscus. Edita munera in quibus præter alia diuersa ex toto orbe terrarum, tigrides exhibuit, Capitolinus in Antonino Pio.

F.

Mensæ apud Indos imponuntur leones, apri, & tigrum clunes. Cæteris enim animalis huius partibus uesci Indi prohibentur, Philostratus lib. 2. de uita Apollon. Qui in Dariene insula tigrinam carnem gustauit, bubula nihilò deteriorem esse retulit, ut præcedenti capite recitauit.

H. a.

- a. Tigris ab alijs aliter scribitur, inflexione etiã & genere non isdem utuntur authores. Τίγρις, cum animal significat: τίγρις uerò, cum fluuium, Suidas. sed hanc distinctionem non uideo obseruari. Τίγρις ἰσθμίου φέρουσι, Dionysius Afer de fluuiis. Τίγρις ἰότα habet in ultima (inquit Eustathius Dionysij Scholiastes,) quod inflexio indicat, genitiuus enim τίγρις est apud Aristotelem & Dionysium: ut ὄφις, ὄφις. ut genitiuus Atticus inde fiat τίγρις. Arrianus tamen per d. inflectit, Τίγρις, ut etiã author fabulæ Sufannæ, Damascenus ut inscriptio præ se fert. Sic & à uocabulo Apis gignendi casum alijs ἄπις faciunt, alijs ἄπις. Sunt qui scribant τίγρις, τίγρις, ut nomina in vs Lambica. Apud Iulianum quidem & Arrianum de gestis Alexandri, reperitur etiam τίγρις, de fluuiis, per p. ab initio. Est & Paphlagoniæ fluuius Tigris, τίγρις, τίγρις Xenophonti, Hæc Eustathius: Possunt autem omnia sic accipi, ut tam de animali quàm de fluuiis intelligantur. τίγρις tantum per p. ad fluuium proprie pertinere uidetur. Ego in Arriani Indicis inuenio τίγρις, τίγρις, τίγρις, de animali. Græci authores, quos ego uiderim, omnes sine delta inflectunt: Latini uerò aliquot cum delta, præsertim recetiores. Tigridum enim legimus apud Solinum, Capitolinum, & authorem Philomelæ: Tigridum, apud Am. Marcellinum: Tigridibus, apud Capitolinum. Ocyor tigride, Lucanus lib. 5. Tigrin, tigrim, & tigrim, apud ueteres Latinos reperio, omnia in accusandi casu. Legimus & in plurali numero apud classicos authores, Plinium, Senecam, &c. tigres, tigrum, tigribus. Tu (alloquitur testudinem instrumentum musicum) potes tigreis, comitesq; syluas Ducere, Horatius Carminum 3. 11. Idem in libro de Arte, primam huius uocis corripuit, Dicitur ob hoc lenire tigres, rapidosq; leones, de Orpheo. Tigris qui est ut leo, qui uiuus capi adhuc non potuit, Varro genere masculino. Plinius & alijs Latini omnes, ni fallor, foemino genere efferunt. Græci uerò pleriq; in masculino, Pausanias, Oppianus, Strabo: qui τίγρις μείζων dixit. Plutarchus uero in libro Vtra animalium, &c. foemini-
- 60 num fecit. ¶ Alseba Arabicè est nomen commune ad omnia quadrupedum genera, quæ dentibus & unguibus suis aggrediuntur homines mordendo & lacerando, & quandoq; mortem inferendo, ut leo, lupus, tigris, & similia, Bellunensis. Vetus Auicennæ interpres lupos uertere solet. A

fluuió dicor, fluuius uel dicitur ex me, Iuncta q̄ sum uento, uento uelocior ipso, Et mihi dat uentus natos, nec quæro maritos, Camerarius in Exercitijs rhetoricis, est autem ænigma de tigris.

¶ Epitheta. Armeniæ tigres, Vergilius 5. Aegloga. Atqui non ego te tigris ut aspera, Gētulusue leo frangere persequor, Horatius 1. Carm. Atra, Vergil. 4. Georg. Hyrcanæq̄ admodum ubera tigres, Idem 4. Aeneid. in sauum & crudelem. Improbæ, Martialis. Indomitæ, Author Philomelæ. Maculosa, Ouidius 11. Metamorphoseos. At rabidæ tigres absunt, & sæua leonum Semina, Vergilius de Italia. Quis scit an hæc sæuas insula tigres habet? Ouidius episto. 10. Tibi dant uariæ pectora tigres, Seneca in Hippolyto. Virgatæ, Ibidem. Et præterea apud Textorem, Tigres acerbæ, Afræ, asperæ, auidæ, capistratæ, Caspiæ, carchesiæ, Caucasæ, concitæ, dentatæ, effera, fera, furibunda, Gangetica, immanes, Indæ, Martiæ, Parthiæ, pedestrenuæ, rabiosa, 10 rapidæ, rigidæ, sæua, truces, spumantes, ualidæ, uiolentæ. ¶ Τίγρεις ἀυλόνωτοι, Oppianus. Τίγρεις οἶα βοῖ κραιπνῶ ζεφύροιο γυνέβην, Idem. Et alibi, Διὸς γὰρ κεν ἰδῶις πολυαυθῆα καλὸν ἀνοίτην, de tigris gride mare.

¶ Tigrinus, adiectiuum. Mensæ tigrinæ Plinio dicuntur, ut supra retuli: quæ oblongo uenarum discursu sunt, tales apud nos ex acere & fraxino fiunt, & ut resplendeant flauo pigmento (uernicem uulgus uocat) illinuntur. ¶ Tigris nomen est nauis Massici apud Vergilium libro decimo Aeneidos. ¶ Hippotigrin animal celebratum inuenias in Antonino Caracalla ex Dionis Nicæi historia, Cælius.

¶ Tigris uiri nomen in epigrammate quod Suidas citat in dictione Βολίς: Τίγεις ἢ πᾶσισι ἐφείς Βόλον. ἐν δ' ἀλίοισι κλίτρον, ἐν θηροῖ δάμυς ἐρημονόμοις. Tigris Ouidio inter canes Alæonis numeratur. 20 Nominibus canes non longissimis appellandi sunt, quo celerius quisq̄ uocatus exaudiat, nec tamen breuioribus quàm quæ duabus syllabis enuncientur, ut sunt Scylax, Ferox: aut fœmina, Lupa, Cerua, Tigris, Varro. Tigranes rex fuit Armeniæ maioris, quem primò Lucullus, deinde Pompeius Magnus uicit. Est & fluuij nomen. ¶ Tigris appellatur ingens fluuius, propter uelocitatem, qui instar bestię nimia pernicitate decurrit. Hic de paradiso exiens, iuxta Scripturę fidem, pergensq̄ contra Assyrios, post multos circuitus (Iosepho teste) in mare rubrum defluit. Plura leges in Onomastico. De scriptione & inflexione huius uocabuli attuli quædam superius ab initio huius capitis. Quæq̄ caput rapido tollit cum Tigris magnus Euphrates, Lucanus. Τίγρης, fluuius Persarum, & fluuij sonitus, ῥοῖζος, Hesychius. Tigris rapidissimus fluuiorum est, ut nullus ei pernicitate conferri possit: quamobrem Tigris uocatur, quod iaculum uel sagittam uelocitate æquet. 30 Medi enim sagittam tigrin uocant, Sic & Acis Siciliæ fluuius apud Theocritum dictus uidetur, quod ἀκίδι, id est spiculo uel telo celeritas eius comparetur. Aliqui tamen malunt à tigris fera nominatum hunc fluuium. Fabulantur enim quod cum Syllax (Σύλλαξ, apud Plutarchum de fluuijs) hic amnis uocaretur, hoc est κατωφερίς, (nimirum à præcipiti & prono lapsu, quo in Araxem & Arfacidem paludem deuoluitur,) postea tigris appellatus sit, hanc ob causam. Bacchus ab irata lunone ad insaniam redactus cum passim temere uagaretur ad hoc flumen peruenit, & cum de traiectu anxius haberet, miseratus eum pater Iupiter, tigrin feram mittit, qua uectus ille traiecit, unde fluuius nomen impositum. Sed etiam citra fabulam à feræ huius summa & incomparabili pernicitate nomen ei aptè imponi potuit. Hic fluuius intelligitur etiam in dolofo illo oraculo quod Iuliano redditum est, promittens insignia quædam facinora ædenda παρά θηοῖ ποταμῶ, ἢ γὰρ παρά τῶ θηελωνύμω Τίγρι, Eustathius in 40 Dionysium Afrum scribens. Addit & Arriani ex opere de gestis Alexandri uerba: Euphrates & Tigris, (Τίγρης, aliàs Τίγρης) fluuij, mediam inter se Assyriam includunt. Vnde & Mesopotamia ab incolis Tigres uocatur (ipsa potius regio sic uocatur, ut & Dionysius poëta canit,) & humilior est Euphrate. Sed aliam cur Tigris sic dictus sit fabulam Hermesianax affert: Dionysius (inquit) Jada amore suum nec donis nec precibus pellicere posset, in tigrin feram mutatus, metu consternatam per fluuium transuexit, & Medum filium ex ea genuit, qui iam adultus in rei memoriam fluuium appellauit Tigrin, Plutarchus in libro de fluuijs. Tigrin aiunt prope hostia quibus in mare se exponerat, Passitigrin uocari, quasi non amplius simplicem sed παντοῖον Τίγριν, propter multos in se receptos amnes, Eustathius in Dionysium. Desse Arabicè est fluuius in Mesopotamia, iuxta quem erat ciuitas Niniue, & apud Latinos Tigris nominatur, &c. Bellunensis in glossis in Auicennam. Tigris 50 minor & Delas fluuij, Apameam Mesenorum ciuitatem circundant, Stephanus. Tigris Xenophonti Paphlagoniæ fluuius est triplethros, hoc est trium iugerum latitudine. Herodotus etiam scribit non unum solum esse tigrin, sed alterum etiam & tertium, qui nec idem sint, nec ex eodem fluant, sed nomen tantum commune habeant, Eustathius. Tigrana Ptolemæo 1. 6. oppidum est Mediæ in mediterraneis. Τίγρανόκερτα, τὰ apud Stephanum & Strabonem, urbs est iuxta Armeniam, quasi Tigrani ciuitas, nam Parthis certa ciuitas est. Inhabitauit autem eam Tigranes Armeniæ rex.

¶ b. In rubri maris insula esse fruticem baculis tantum idoneæ crassitudinis, uarium tigrum maculis, ponderosum, & cum in spissiora decidit uitri modo fragilem, Alexandri Magni comites prodiderunt, Plinius.

¶ c. Cum Maximinus omnia in uiribus suis ita poneret, quasi non posset occidi, quidam in 60 theatro præsentem illo dicitur uersus Græcos dixisse, quorum hæc erat Latina sententiã: Qui ab uno nõ potest occidi, à multis occiditur. Tigris fortis est & occiditur, &c. Iulius Capitolinus. Turrigeros elephan-

-cum ad Alphesibæ
in nympham.

elephantorū miramur humeros, tigrum rapinas, &c. Plinius. Tigris ut auditis diuersa ualle duorum Extimulata fame mugitibus armentorū, Nescit utro potius ruat, & ruere ardet utroq. Sic dubius Perseus dextra lauaue feratur, Ouidius 5. Metam.

¶ d. Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam, Tum ferrum & scopulos gestare in corde fatebor, Medea apud Ouidium 7. Metam. Syluestres homines Cædibus & uictu lædo deterruit Orpheus, Dicitur ob hoc lenire tigres, rapidosq. leones, Horatius de Arte.

¶ h. Bacchus in curru, quem summum texerat uuis, Tigribus adiunctis aurea lora dabat, Ouidius 1. de Arte. Hac (uirtute) te merentem Bacche pater tuæ Vexere tigres, indocili iugum Collo trahentes, Horatius Carm. 3. 3. Sed de tigribus alijsq. feris maculosus Baccho sacris, plura dixi in Panthera h. Heliogabalus tigres iunxit, Liberum se uocans, Lampridius. ¶ Poëtis quidē omnia licent, sed cum aliqua uerisimilitudine, non ut Serpentes a uibus gementur, tigribus agni, Horatius de Arte. ¶ Protei conformatio in diuersa corpora, imaginum falsarum rationem continet quibus deludimur. Est qui expleffe iram, crudelitatis cōceptaculum, inter optata maximè opinatur, tunc in tigridem demutatio recognoscitur, &c. Cælius.

DE VRSO.



A.

50 **V**RSVS Hebræis est דוב, dob, cōmunis generis, plurale דובים, dubim. Primo Regū cap. 17. Arabice legitur dubbe, (quo nōmine Saracenos etiam hodie uti quidā prodidit,) Chaldaice דובה, duba. Aldub ursus est, Bellunensis. Δαβδλη ursus Chaldaeis, Hesych. Varin. Auicennæ uetus interpres alicubi adib, id est, lupum cum aldub, id est urso confundit: Vide in Lupo A. Adraces, id est testiculi ursi, Syluaticus. Maraçtis, id est fel ursi, Idem. uidetur autem nomen ineptè compositum, ex diuersis linguis, nempe à marah quod fel Hebræis, & arctos, αρκτος, quod Græcis ursum sonat. ¶ Itali hoc animal uocant orso: Galli, ours. Hispani similiter Italis orso: alij tamen sine r. oso uel osso proferunt. Germani bär, uel (ut alij scribunt) beer. Angli similiter beer uel beare. Illyrica lingua uariat, nam Bohemi nedwed appellant: Poloni wewer, per anadiplosin (ut apparet) Germanici uocabuli.

B.

60 • Vrsos multos regiones frigidæ gignunt, & quidam fuscus aut nigrus, quorum duo sunt genera: magni & parui, hi facilius arbores scandunt, & in tantam magnitudinem, in quantam illi nunquam crescunt, GeAgricola. Paruum urforum genus audio ab Heluetijs nostris uocari steinbären, id